

huiusmodi institutione. Nam committitur illi prouincia valde nobilis, si vel dignitate illam metiamur, vel vtilitate. Dignitas ex eo constat, quod prophetia est eximium Dei donum, & veluti domina, quæ altioribus vehitur quadrigis, quam reliquæ artes & facultates. Quid enim? Annon vir propheta, id est doctor ecclesiæ, est legatus Dei ad electum & dilectum ipsius populum? Annon est os populi ad Deum? Dignitati huic multiplex respondet vtilitas. Nam propheta fidelis ecclesiam colligendo & numerum electorum complet, & lupos à caula Domini arceat. Prophetia insuper est partim diuina illa flexanima, qua mentes hominum repugnantes ab impia & iniuranti vita ad Christianam fidem & resipiscenciam traducuntur; partim sacra politica, quæ docet rationem fundandi, conseruandi, amplificandi & curandi ecclesiam. Vnde si quaeratur, quæ facultas excellat vnam ex omnibus, prophetiæ certe palma danda est. Quanto vero res quæque illustrior est, tanto diligentius excolenda est præceptorum varietate & copia. Iccirco cum animaduertirem hanc materiam ab aliis quidem præteriti, ab aliis vero leui brachio attingi, visum mihi fuit faciendum, vt illam sub methodi Logicæ incudem reuocarem, & diuina fauente clementia sic tractarem, vt duos illos, graues sane & arduos locos, vnum de ratione concionandi, alterum de modo politiæ ecclesiasticæ, omnes tum docentes tum discipulos plene possent intelligere.

III. Theologia Prophetica tradi debet methodo analyticalica.

*Qua metho-
do sit traden-
da Propheti-
ca?*

Theologia est habitus partim theoreticus, partim practicus. Oportet itaque vt quidquid ibi est theoreticum, tradatur methodo synthetica, quæ à subiecto progreditur ad principia & proprietates: quidquid autem est practicum, comprehendatur methodo analyticalica, cuius lex est, vt à fine auspiciemur, indeque ad subiectum & media pergamus.

IV. Finis theologiæ prophetiæ quatuor veluti gradibus constat.

*Quis finis
propositus sit
theologiæ pro-
phetiæ?*

Principio se offert *finis internus, siue proximus*; qui est tradere modum bene constituendi & administrandi ecclesiam. Hic est finis